

P. 25.

163.



In hoc Volumine sequentes quoque continentur
Disputationes.

1. — de Jure Cataractarum.
2. — de Fructibus ac Impensis b. vel m. f. possess.
3. — de Jure Allodiali Principum Imperii.
4. — de Omissione Hereditatis.
5. — de Paragio.
6. — ad Leg. Milites. lxx. C. de Quaestione.
7. — de Urbe Nino et rebus h. Syrius.
8. — de Titulo Augusti.

Handwritten text in a historical script, possibly Gothic or similar, is visible on the page. The text is faint and appears to be arranged in several lines. The page is framed by a red border, and there are some blue ink markings or scribbles on the right side.



7
8

Q. D. B. V.

De

VRBE NINO

ET

REBUS ASSYRIIS,

*Amplissimo Ordine Philosophorum
benevole annuente,*

PRÆCES

M. ALBERT. MENO Berpoortenn/

&

RESPONDENS

PHILIPPVS THEOD. Berpoortenn/

Fratres Germani,
disputabunt

ad d. XII. Kal. Oct.

VITENBERGAE,

Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.

A. O. R. M DC XCVI.

M. ALBERTVS MENO Berpoortenn/
PHILIPPVS THEODORVS Berpoortenn/



V I R O

*Summe Reverendo, Magnifico, Amplissimo
atque Excellentissimo,*

DN.D.PHIL.LVDOV.

HANNEKENIO,

**Theologo de coetu sacro meritissimo,
diviniorum literarum Professore in Academia Vitem-
bergensi Publico celeberrimo, Electoralis Consistorii
Assessori gravissimo,**

V I R O

Nobilissimo, Amplissimo atque Excellentissimo,

DN.D.NICOL.HANNEKENIO,

**Medico famigeratissimo, Reip. Lubecensis Physico
experientissimo,**

V I R O

Maxime Reverendo, atque Amplissimo

**DN. M. BALTHASARI GERHAR-
DO HANNEKENIO,**

**ArchiDiacono ad D. Mariae apud Lubecenses
meritissimo,**

Dominis, Patronis atque Evergetis suis, sanguine

Avunculis, affectu Parentibus,

hoc quaecumque Specimen

*grati devotique animi monumentum esse
volunt*

**M. ALBERTVS MENO Verpoortenn.
PHILIPPVS THEODORVS Verpoortenn.**



Ultimus in urbe Nino ex prisca Regum progenie Sardanapalus regnavit, imperium non virtute sua, sed jure sanguinis adeptus. Filiis enim usq; ad hunc Regem semper a parentibus regnum non interrupta serie quasi per manus traditum fuisse, cum *Ctesia Diodorus, Strabo item, Vellejus, Cephalaeo, ac Iustinus* summa consensio-

ne testantur. Certior apud omnes memoria ejus est, quam Principis Asyriorum post Semiramis ullius. Nemo enim veterum fuit, qui torpentem ejus ignaviam, & mentem ad quasvis foedas libidines projectam infamia sibi notandam non putarit, quippe per quam factum est, ut imperium per tot secula florentissimum corrueret, & Orientis res variis deinde concussae motibus subinde dominos mutarent. Unde quum reliquorum nec numerum, nec nomina, multo minus res gestas satis certo traditas acceperimus, in hoc tamen ejusq; casu omnes videmus consentire. Itaque eam litem meam nunc non facio, quae de ceteris Asyriae Regibus inter veteres, recentioresque scriptores versatur, dum *Diodorus* Sardanapalum a Nino trigessimum, *Vellejus* a Nino & Semiramide trigessimum tertium, *Eusebius* sextum & trigessimum, *Auctor fragmentorum latino-Barbarorum* p. 60. unde quadragesimum, *Africanus* quadragesimum regnasse perhibuerunt: nisi quod de *Diodoro*, atque, unde hic desumpsit, *Ctesia* quaedam adhuc addenda sunt. Nam in luculenta *H. Stephani* editione (quo elogio illa *Scaliger* maectat) Σαρδανάπαλος τριακός ἀπὸ Νίνυς dicitur, quod *Scaliger* ex veteri exemplari *Georgii Syncelli*, & fragmentis *Ctesiae* legi jubet: τριακός καὶ πέμπτος. Acute. Nam facile inter *Diodorum*, *Vellejum*, atque *Eusebium* hac ratione concordia iniri posset. Sed vereor,

A

ut

ut unus Georgii codex ad tres minimum locos, apud Diodorum eodem modo corrigendos, auctoritatis satis habeat, quum a codicibus ipsius Diodori, quos Stephanus inspexit, nullum hic auxilium sit. De fragmentis autem *Ctesiae* quod adjicit *Scaliger*, non adeo firmum esse, declarat ipse, dum in *App. ad Opus de Emend. Temp. p. 40.* secundum *Ctesiae* ac *Diodori* sententiam *Sardanapalum* a *Nino* trigessimum fuisse scribit.

Ctesias autem quid de Regibus Assyriorum memoriae prodiderit, ne satis certo affirmare possimus, inter alia *Cephalaeonis* quoque dissensus facit. Nam quum *Diodorus* asserat, nomina Regum, & annos illorum imperii, a *Ctesia* non tradi, quod nihil memoria dignum egerint; ille plane diversa refert, in *Collect. Euseb. Scalig. p. 30.* Verum licet a *Photio* conciliationis rationem petere, qui *Ctesiam* primis sex libris res ab Assyriis gestas comprehendisse ostendit: in fine autem libri tertii vigesimi omnes Reges a *Nino* & *Semiramide* usque ad *Artaxerxem* ordine recensuisse. Itaque *Diodorus* ipsum historiae corpus respexit, & in libris sex prioribus ne nomina quidem eorum deprehendit: *Cephalaeo* vero *Appendicem* lib. xxiii. prae oculis habuit; de qua tamen dubitari adhuc posset, fueritne ipsi *Ctesiae*, an vero *Auctori* cui-dam recentiori adscribenda?

Sed *Sardanapalum*, cujus exitio fata urbis *Nini* conjuncta aut innexa potius fuerunt, statim dimittere non possum. Nomen ejus *Cicero* deforme vocat, ad Graecum vocabulum respiciens. Namque in libris *MS* *C* *tis* per geminum *ll* concipi, *Sardanapalum*, *Scaliger* notavit ad num. *Euseb. MCLXXXVIII.* Vera tamen origo vocis Assyriis debetur. Aliter idem *Tonosconcoleros*, Θωνκονκόλερ, ὁ λεγόμενος Κονκόλερ, Θωνκονκόλερ, *Africano* etiam Μακροσκόλερ appellatus. Vid. *Thes. Temp. in Collect. Gr. p. 14. & 29.* Hic quum ad regnum pervenisset, id sibi unice datum credidit negotii, ut, omissa imperii cura, voluptatibus vacaret, iisque in palatio abditus, nulla pudoris ratione habita, propalam frueretur. Nec facile Regum alius adeo ventri, somnoque deditus priscis annalibus memoratur, quique animum, rerum humanarum longe praestanti-

stantissimum, tam indigne habuerit, & vivendi ratione foedissima tantum non plane extinxerit. Notior res est, quam ut proluxa oratione indigeat, & passim a scriptoribus, imprimis *Ctesia*, atque inde *Diodoro* & *Athenaeo*, *Iustino*q; tradita. Abiit sane in proverbium, ut *Sardanapalus* exemplum hominis mollissimi, & nihil humanum, praeter speciem habentis, crederetur: quo illud *Tullii* pertinet: *Nisi forte me Sardanapali vice in suo lectulo mori malle censueris, quam exilio Themistocleo.*

Quo autem testatior tantae foecordiae esset memoria, prospexit ipse, quem non puduit aeternum ignominiae suae monumentum erigere, ne tale portentum aliquando extitisse, posteris minus credibile videretur. De quo vid. *Athenaeus lib. XII. Strabo lib. XIV. Cic. lib. V. Tusc. qq. Clem. Alex. Strom. II. August. de C. D. II, 20.* Et apud *Athenaeum* quidem duo ejusmodi monumenta legimus, alterum *Nini*, alterum *Anchiales*.

Occasionem vitae adeo turpi & Regiae fortunae licentia, & urbs omnibus deliciis affluens praebuit. Pingve enim *Assyriae* solum, & quarumvis rerum, imprimis quae ad alendas corporis voluptates pertinebant, fertile fuit. Quo forsitan *Josephus* respexit *Orig. Jud. I. 7.* quum *Assyrios μάλιστα εὐδαιμονήσαν*, omnium beatissimos egisse, scribit. Difficile est autem, in summa potentia, omniumque copia voluptatum, tenere modum; & animi nondum confirmati civitatis luxu facile pervertuntur: quod inter alios *Caracallae* quoque & *Getae* accidit, *οἵτινες ὑπὸ τῆς ἐν Ῥώμῃ τρυφῆς καὶ διαίτης τὰ ἤθη διεφείποντο*, *Herod. in. III. 10.* Accesit acta inter feminarum greges, & consuetudinem Eunuchorum pueritia & adolescentia, ubi nec ingenium ad gerendam tuendamue *Remp.* animosque satraparum aut populorum rite tractandos, nec corpus laboribus militaribus, aliisque Principalis fastigii exercitationibus excolebatur: quae artes a *C. Caesare Octaviano*, provida avunculi cura, in adolescentia cultae eum in summum *Augusti* apicem extulerunt, *Dione* teste. Nec adultores defuisse censendi sunt, perpetuum fere magnae fortunae malum, qui omnia Regum recte, inique, honeste, turpiter acta non tantum approbare,

& laudibus, honesti vel speciosi colore quaesito, tollere, verum etiam, ubi ad deteriorem partem Princeps deflexerit, ministros se ac duces praebere assolent. Mirum igitur non est, in animo Sardanapali tantis voluptatum illecebris occupato atque obsessio nihil bonis artibus, aut virtutis gloriaeque studio loci fuisse.

Prius itaque seipsum, deinde imperium perdidit. Plerumque enim usu venit, ut regna prius luxuria, quam vi hostium evertantur. Vicia devicti orbis Romanam vim fregerunt, & quod Hannibali Capua, Romanis Oriens fuit. Exiitio imperii Occidentalis luxuries praecurrit, graviter ab *Ammiano lib. XIV.* descripta & deplorata. Nec stare poterat vastum Persarum imperium, postquam egregia Cyri instituta ad luxum, vanamque majestatis imaginem transtulerant, de quo *Xenophon sub finem Cyripaed.* ut tandem Alexander Macedo non in viros, sed feminas incideret, (quod τῆ ἀμωνύμω Epirotae dictum fuit) & modica, si numerum spectes, manu, innumeras Darii copias profligaret. Pariter & Sardanapalus specitius tanto fastigio detrusus ludibrium fortunae praebuit, & vitam turpiter actam non minori dedecore finivit. Arbaces enim (*Iustinus* Arbaetum, *Vellejus* Pharnacem, nisi mendum subest, appellat) Medus genere, dux popularium, Nini quotannis praesidium agitantium, a Belesi Babylonio in spem adductus, fore, ut regni Assyriorum potiretur, idque certa astrorum significatione cognosci: consilium, Sardanapalum regno evertendi, cepit. Id quibus artibus perfecit, operae pretium est cognoscere.

Ingens viro animus erat, & virtus eximia; ἀνδρεία καὶ ψυχῆς λαμπρότητι διαφέροντα *Diodorus* vocat, qualibus in ingenis plerumque existunt honoris, imperii, potentiae, gloriae cupiditates; *Cic. l. Offic.* Hinc facili momento a Belesi impulsus est, ut imperium Asiae spe sibi desponderet, & quae ad colligendum procerum favorem faciebant, quavis occasione procuraret. Eodem igitur anno, quo ipsi & Belesi in castris ad Ninum haec consilia in mentem venerant, familiaritatem cum ducibus reliquarum gentium contraxit, eosque saepius magnifico

gnifico conviviorum apparatu exceptos sibi arctissime de-
 vinxit, comitate insuper atque humanitate, quam ostende-
 bat, incredibili plane tandem suos fecit. Antequam autem
 majora moliretur, visum est, penitiorum Regiae faciem ser-
 tari: rationes expediendi consilii initurus, prout Sardanapa-
 lum vel curas intendere, vel jacere socordia animadverteret.
 Aegre tandem per Paramizum, Eunuchum, aurea phiala il-
 lectum, videndi Regis facultatem nanciscitur, nec quicquam
 in eo virilis animi, aut cultus videns contempta illius molli-
 tie fiduciam de laeto prosperoque eventu concipit firmiorem.
 Tum vires parare instituit, tantae imperii moli subruendae
 non impares, & facta cum Belesi societate, sibi Medos
 & Persas ad defectionem sollicitandos sumit, illi Babylonios
 & Praefectum Arabum in Sardanapalum excitandos delegat.
 (Arabes enim sunt, quos generali βαρβαρῶν nomine ap-
 pellat *Diodorus*, nisi cui forsitan pro, βαρβαρῶν, legendum vide-
 atur, Ἀραβῶν, quo tamen descendere nondum audeo.) Nec
 segnius destinata perficiunt. Ne consilium mora langvesce-
 ret, Arbaces, anno vertente Nino reversus in Mediam, po-
 pulares gratia sua, qua propter humanitatis, prudentiae &
 fortitudinis gloriam multum poterat, atque injecta aliis im-
 perandi cupiditate, Persas ostensa libertatis imagine in suas
 partes traxit. Pariter Belesii Babylonios amorem libertatis
 injecerat, sibi que Arabem, amicum & hospitem suum, ad-
 junxerat. Sperabant se Sardanapalum oppressuros impruden-
 tem: itaque circumacto anno tota mole quatuor harum gen-
 tium sedibus suis excita ad Ninum quadringentis hominum
 millibus venerunt, honesta praescriptione officii annui, quo
 novas copias adducere deberent, defectionis consilium te-
 gentes. Sed quum vires iisdem castris conjunxissent, Sarda-
 napalum non fefellit, de summa imperii agi. Nec tamen hic
 pro cetera mollietate egit, verum reliquarum gentium exer-
 citibus in aciem productis tribus praeliis desciscentes pro-
 fligavit, & tandem castris exutos usque ad Babyloniae fines
 persequutus est. Facile hic apparuit, quantum in utroque
 ducum esset. Arbaces iis artibus, quibus animi hominum

nobis conciliantur, adeo valuit, ut neque duces, neque milites tot cladibus ad tolerandum rursus Sardanapali imperium adducerentur, nec praemio ducentorum auri talentorum, quod per praeconem Sardanapalus interfectori Arbacis aut Belesis edixerat, mutarent fidem. Tantum amor imperatoris, & virtus, societate periculorum cognita, (etenim tertia pugna post multa fortiter facta saucius excesserat) apud multitudinem valuit. Actum tamen erat de animis militum, & consilium de copiis in praesenti dimittendis, novoque firmandis supplemento praevalebat, nisi Belesis, Deorum se interpretem gerens, quinque adhuc dierum moram exorasset: insperatum auxilium, laetiolemque totius negotii faciem Deos polliceri. Quod non tam sideralis scientiae fiducia, sed occultorum fide nunciorum, qui Bactrianos adventare aerebant, videtur affirmasse. Duces sane Bactrianorum jam tum iis partibus addictiores fuisse, atque occasionem modo praestolatos, qua cogitata exponerent, inde quis non immerito suspicetur, quod Arbaci cum delecta manu castris egresso obvii sine longiori consultatione arma junxerunt. Qua ex re & Medis animus accessit, & multum hostibus praesidii detractum est. Accidit autem, ut ex transfugis cognosceretur, omnia apud Assyrios dissolute geri, & tanquam debellatum esset, vino festoque apparatu perstreperere, vigiliis, stationes desertas esse, cuncta denique munia militaria negligi, necdum de Bactrianorum transitu in partes quicquam sciri. Igitur animis suorum, socordia atque ignorantia hostium utendum ratus Arbaces, noctu hostes incompósitos atque imparatos aggressus est, & castris omisis in urbem fugere compulit. Tum vero Sardanapalum fortuna prorsus destituit: copiae ejus duobus caesae praeliis, amisso duce Salaemene, partim quoque in flumine perierunt, reditu ad urbem hostili ferro interclusi. Ipse circumfessus plerasque provinciarum amisit, unaquaque pristinam libertatem postliminio repetente. Ergo filios tres, spem regni, & duas filias, cum ter mille talentis auri, in Paphlagoniam ad Cottam misit, quem isti regioni praefecerat, omniumque fidissimum habebat, (Apud

Arbaces

Ab-naeum lib. XII. eos Ninum misisse dicitur, ad Regem urbis, incertum ipsius, an codicis vitio, quod ex *Diodoro* corrigendum, atque hac ratione *Ctesias* ab accusatione *Scaligeri App. ad libros de Em. Tem. p. 43.* defendendus est; qui etiam, dum *lib. III. Can. Isag. p. 315.* haec ponit: *Ctesiam sequutus Diodorus Sardanapalum alibi, quam in urbe Nino periisse scribit;* memoria inter tot tantasque universae rei literariae curas lapsus esse videtur.) Quum autem oraculo traditum a majoribus accepisset, ab omni vi hostium Ninum tutam fore, quoad fluvius hostis urbi non fieret: tertio obsidionis anno, disiectis per viginti stadia muris impetu fluminis per imbres aucti, abiecit animum, & fatum inexuperabile advenisse credens se, pellices, eunuchos, thesauros, vestem, suppellectilem, ipsam denique Regiam extracto incensoque rogo flammis dedit. Hunc exitum habuit potentissimus Asiae Rex, qui imperium a majoribus traditum sibi florentissimum, nimia felicitate usus, perdidit, atque eadem secum ruina involvit.

Diodorus.

De Arabibus alicui dubium oriri posset, an unquam in ditione ac potestate Assyriorum fuerint, quod tamen haec *Diodori* narratio innuere videtur: quum idem, *libri secundi initio,* gentes has libertatis tenacissimas esse, asseveret, neque Assyriis, aut Persis, aut Macedonibus etiam paruisse, quod *sub ejus libri finem* ex natura regionis ulterius illustrat. Coluerunt tamen sine dubio insignem finitimae Assyriae potentiam, & pretio quoque ad emittendas quotannis in Assyriam copias facile induci potuerunt: sicut postea sub Imperatoribus Romanis in Oriente, praesertim, quum declinante imperio res Romana barbarorum potius auxiliis, quam domestico milite niteretur, Arabes Scenitas vel Nomadas, quos usitatus ex more aevi sequioris Saracenos dicimus, magno numero stipendia fecisse accepimus. Alias universam Arabiam ne Romani quidem sub imperio habuerunt, & quod *Zosimus* de Severo refert, *αὐτὸν πᾶσαν Ἀραβίαν κατὰ πέρσας*, aliter ab *Herodiano* narratur, qui temporum illorum aequalis fuit & rem totam accuratius exequitur: nisi *κατὰ πέρσας* ibi potius per

per, *Evastare*, reddendum. Nabataei tamen, quibus potissimam libertatis curam *Diodorus* tribuit, Caesaris Augusti iussa suspexerunt, ut ex *Strabone* liquet, lib. XVI. expeditionem *Aelii Galli*, ab Augusto ad tentandas Arabiae gentes missi, describente. Ceterum sociorum inaequali foedere junctorum rationem potius, quam subjectorum habuerunt, quin ad penetrandam intimius Arabiam, populosque Romanae ditioni subjiciendos, per *Silaeum* plurimum impedimenti attulerunt, & potiolem finitimorum libertatem, a qua sibi non adeo multum metuebant, quam incrementa Romanorum habuerunt.

Alia quoque de casu *Sardanapali* Auctores & diversis modis tradere, dissimulandum non est. Tanto certior enim reliquorum, in quibus omnes conveniunt, fides erit. Ex *Trogo Justinus* *Sardanapalum* prima statim acie pulsum urbi se inclusisse refert: credo, quod parum verisimile videretur, hominem, qui ne umbram quidem honesti viderat, sed omnem vitam inter pellices atque ludibria exegerat naturae, bello vacare, & viros fortissimos in fugam dare. Sed illud exercitus virtute accidit, qui saepe optimo imperatore se dignum praebet, quum ille fugacissimo milite dignus est, ut *Antonio* in pugna *Aetia* contigit. Istud autem *Sardanapali* proprium est, intempestiva remissione laxasse militum animos, & frui victoria, quam uti maluisse, ejus adeo fructum foede perdidisse, militesque fortissimos hosti objecisse pecorum instar trucidandos; quae ab antea acta *Sardanapali* vita non abhorrent. Nec de mortis genere consentitur. *Duris* cum aliis nonnullis apud *Athenaeum* statim ab *Arbace* regiam ingresso confossum interiisse scribit, quod talem ipsis imperare indignaretur; atque eodem *Vellejus* videtur concedere. *Clitarchus* autem, eum, postquam Syrorum imperio excidisset, morbo senem decessisse tradidit. Quem auctorem in animo habuisse *Tullius* videtur, quum ea ad *Atticum* scriberet, quae supra adducebamus. *Ctesiae* tamen auctoritatem ceteri plerique summa consensione sequuti sunt, quae nobis quoque potior censetur.

Mor-

Mortem virili animo obiisse, quum vitam egisset molliter atque effoeminate, *Ctesias & Iustinus* scriptum reliquere: quod superstitioni illorum avitae condonandum fuerit, si quis sibi ipsi, ne quid dedecoris in se admitteret, inferret manus, inter praeclara fortitudinis exempla numeranti: quam graviter redarguit & refellit *Augustinus de C. D. l. 19. seqq.* Alioquin quid in morte Sardanapali virtutis aut magni animi appareat, videre non possum, quum vel rogit ipse, quem sibi mortis causa struxit, turpissimarum monumenta voluptatum habeat, atque in animum, foedis libidinibus corruptum, ne proposita quidem mortis imagine, honesti curam cadere potuisse demonstrat. Descripsit structuram infamis busti *Ctesias* apud *Athen.* Hoc exitu declaratum est, Sardanapalum omnes spes suas in solo blandientis fortunae vultu collocatas habuisse, quo mutato animum despondit, nec viri fecit officium, cuius animum nec prospera fortuna efferet, nec adversa infringet.

A nonnullis, Ninum quendam post Sardanapalum Assyriis imperasse, traditur, inter quos *Castor* est, ut *Gracca Scaligeri Collectanea p. 38.* ostendunt, nec dissentiunt *Excerpta Latino-Barb. p. 60.* *Scaliger* autem in *Notis p. 257.* hunc Ninum putat fuisse ex iis, qui posteritati Salmanassari & Sancheribi successerunt. Si meam hic addere coniecturam licet, Ninum hunc paucos post Sardanapalum dies regnasse dicerem, antequam Medi in urbem irruerunt. Nam Sardanapali interitum aliquandiu ipsis ignotum fuisse, ex *Ctesia* apud *Athen.* constat. Forte Sardanapali filius fuit, aut certe pro tali sese gessit, quod in ista regiae facie non adeo difficile fuisset, ad quod suspicandum nominis quoque argumento ducor. Sed huic rei quisque pro arbitrio vel addat, vel demat fidem.

Arbaces deinde Rex declaratus socios magnifice muneratus est, & regnum constituit, imprimis autem mansuetudinis ac bonitatis fama, quam in causa Belesis adhibuerat, imperium firmavit. Urbem vero Ninum, civibus in vicos distributis, solo aequavit, ut pristinae servitutis memoriam delere videretur. Prima haec urbis ruina fuit, a *Diodoro* literis mandata, tacta etiam *Straboni lib. XVI.* quam tamen *Scaliger App. ad libros de Em. Temp. p. 43.* in dubium vocat, eique & divinarum literarum auctoritatem, & Herodotum opponit. Ego vero *Simfonio* libens assentirer, haec in *Chronico Catholico* ita concilianti, quod Arbaces

B

arcem,

arcem, Assyriae dominationis propugnaculum, deleverit, urbe salva: nisi coniectura haec ingenio potius, quam veteris historiae vestigiis commendaretur. Nam *Diodorus* aperte & planissime de urbe loquitur. Satius igitur fuerit, credere, urbem paullo post ex fumantibus adhuc ruinis iterum fuisse excitatam, quod incolis prioribus salvis adhuc & vicina habitantibus facile fuit, quum Mediolanum, multis cladibus a Friderico I. Imp. multatum, ingenti civium amisso numero, ceteris per Italiam, vicinasque regiones foede dispersis, fundamentis murorum tectorumque ab imo erutis, cito tamen resurgere potuerit, quamvis animus Imperatoris nondum reconciliatus esset, ut testis est *Otto Frisingensis*. Enimvero Medorum imperium post Arbacem non aeque validum fuisse, & *Scriptura* divinior, & *Herodotus* ostendit: illa, dum amplissima deinceps Assyriorum Chaldaeorumque imperia fuisse, docet, (quae quum *Euseb. p. 38. Collect. Scalig.* usque ad Cyrum Medorum auspiciis floruisse, iisque fuisse obnoxia, credidit, insigniter falsus est) hic, ubi declarat, post fractam Assyriorum potentiam Medos se pro liberis gessisse, donec Dejoces regnum obtinuit, qui infidias struxit usurpatae hucusque libertati, & regio nomini non modo splendorem, sed etiam vim imperii addidit. *Conf. Scal. l. III. Can. Isag. p. 314.*

Non praeteriri hic debent, quae sanctis Spiritus divini monumentis *de Vate Iona* traduntur. Is Ninum missus excidium urbi intra dies quadraginta nunciare iussus est, quoniam peccata, quibus foedum in modum se polluerant, coelestes iras promeruissent, atque ultricem Dei dextram ita provocassent, ut extremum fatalemque ictum urbi jamjam intenderet. Quibus auditis Deo cives crediderunt, & agnita vitae prioris turpitudine mutare illam in melius, pacemque majestatis divinae humillime exorare, pro se quisque privatim primo instituerunt. Quod quum ad aures Regis pervenisset, is quoque se Deo inferiorem fassus, & ejus tantum nutu tenere imperium, insignia potentiae deposuit, & supplicum more in oriente passim recepto, cilicio regiam vestem, & cinere solum mutavit. Quin solenni edicto ex sua procerumque sententia sanxit: Homines & bestiae cibo potuque abstinerent, ciliciis se induerent, veniam admissorum impensissimis precibus exposcerent, omnes denique vitae rationes male usque adhuc institutas emendarent: ita sperandum esse, ut arceret ab urbe Deus exitium, ipsosque in gra-

gratiam reciperet. Nec vana spes fuit. Deus urbi placatus avertit interitum, & decus regni ulterius firmavit. Sane illustre ad omnem posteritatem exemplum est, quod & propensum Dei in miseros mortales animum demonstrat, & documento est omnibus, non negligere coelestem, dum offertur, gratiam, ac poenas Deo & hominibus meritas debitasque certa poenitentiae fide praevertere: atque ideo a Servatore nobis propositum, in quod tanquam in speculum intueamur, atque inde advertamus, nobis quae ex usu sint. Itaque prima coetus Christo facti tempora similem supplicationis obsecrationisque rationem saepius observarunt, quae de re vid. *Henricus Valesius ad Euseb. II. 10.* quoniam publici jejunii, originem ab isto fonte deducunt veteres, imprimis *Prudentius & Ambrosius*: ac hodiernum *Ecclesia Aethiopica* dominicam ante septuagesimam, introitum jejunii Aethiopici, *Niniven* vocat, quae illustri *Scaligero* debemus, *de Emend. Temp. VII. p. 699* Ex ejusdem, ut & *Calvisii* sententia, Jonas sub Sardanapalo Ninivitas (*Ninios*, auctore *Suida*, & *Augustino de C. D. XVIII. 2.* dicere possumus) de imminente exitio monuit, cui se acta poenitentia eripuerunt, ita ut Deus urbem non aboleret, sed Niniis dominum mutaret, imperio ad Arbacem translato. vid. ejus *animadv. ad Euseb. p. 60. seq.* Mihi autem, pace tanti Viri, liceat assensum sustinere, quum de aetate Jonae certi nihil affirmare possim. Nam *Scaliger* ipse, *Not. ad Euseb. p. 257.* sub *Nino*, qui post *Sardanapalum* regnavit, *Jonam* prophetasse scribit, si modo fuerit hic *Ninus*. *Helvicus* sub *Mandaue Medo*, temporibus *Jeroboami II.* accidisse putat, ductus loco *II. Reg. XIV, 25.* quod tamen argumentum *Scaliger*, & *Petav. de Doctr. Temp. IX, 86.* infirmum putant, quamvis hic aliter sentiat *lib. XIII. p. 542.* Si quis dissensum veterum breviter cupit perspicere, ex *Scaligeri Thesouro temporum* paginas 241. 242. & 244. conferat. De everfione Nini salutari per Jonae concionem eleganter & pie differit *Augustinus de C. D. XXI, 24.*

Fuit ergo haec prima urbis Nini aetas, quae princeps Asiae usque ad Arbacem stetit, sed foecordia Sardanapali miseranda concidit ruina. Brevi tamen ad pristinam potentiam gloriamque iterum adspiravit, & prioris foecordiae memoriam perpetuis in vicinos bellis emendare ac delere aggressa est. Quos enim in restaurata urbe imperasse legimus, bello celebres ingentibusque expeditionibus fuerunt, & decus imperii Assyrii aliquandiu adhuc asseruerunt, non aliter, ac si illud ultimo splendore

jamjam fulgere, & mox ad alios transiturum praeviderent; postea nunquam per vices rerum humanarum Assyriis reddendum. Et hujus quidem extremae Assyriorum aetatis notitia sacris potissimum scriptoribus debetur: qui dum Israeliticae Reip. perturbationes incertissimum mox desituras exitium reliquis gentibus, ut irae divinae specimen, & vitae in melius mutandae incitamentum proponunt, simul, cujus opera Deus in exigendis a populo rebeli poenis usus fuerit, declarant. Nam *Pbul*, qui primus memoratur, circa annum a Sardanapalo centesimum, Palaestinam invasit, & Menaënum, Regem Samariae, vegetigalem fecit. *Tiglatpileser* ab Achaso, Judaeorum Rege, adversus Rezinum, Syriae, & Phaceen, Israelis Reges, subsidio vocatus, adfuit quidem, & Syriae regnum destruxit, decemque tribus graviter afflixit, multis in Assyriam vicinasque regiones deportatis: nec tamen Achasum in integrum restituit, sed solum amplificandi imperii occasione usus, illius prosperitatem & salutem sus deque habuit. *Salmanassar*is autem res gestae imprimis populo Israelitico funestae fuerunt, cujus auspiciis non libertate modo privati, sed quum Aegyptiorum auxilio eam recuperare niterentur, oppressi plane ac patriis sedibus ejecti, Assyriam, & vicinas terras deinceps incolere coacti sunt, gentesque alias sibi succedere non sine ingenti dolore atque animi aegritudine viderunt. Quae ratio gentes bello domitas e solo patrio deportandi multum ad spiritus earum deprimendos, & imponendam sine spe libertatis servitutem valere quondam credita est: imprimis, si aditus regionis hostium difficiles facilius ad res novas moliendas, & excutiendum jugum animos darent, quo consilio Augustus quoque Cantabros ex montibus suis in plana deduxit.

Successor ejus *Sennacheribus* (quem male Judaei cum ipso confundunt) Carchemis, Calno, Arpad, Hemath, Damascum, Samariam, Sepharvaim, Gosan, Charan, Rezep, Thelassar, Hena & Iva sub imperio se habere bello perdomitas gloriabatur. A potentia igitur animos sumens Hiskiam, qui a servitute Assyria se in libertatem vindicarat, maximis copiis invadit, defectionis ultionem prae se ferens, simulque Aegyptum, regnum Judaeis foedere junctum, gravissime vexat. Deinde a Pelusio Hierosolyma infesto exercitu petit, itinere a vate divino, *Esaias*, c. X, 28. descripto, sed quum prope ab urbe abesset, & horrendis contumeliis immortalem Dei majestatem lacefferet, Deum

Deum ipsum ultorem impietatis ac vanissimae superbiae expertus est, & multis optimorum pugnatorum millibus manu coelestis genii caesis, turpis & inglorius domum rediit, tandemque suis etiam invisus, filiorum manu misere interiit.

Videndum nunc breviter, quidnam de his Regibus apud reliquarum gentium scriptores extet? Sunt, qui Belesin *Diodori*, & Phulem, in scripturis diviniorem memoratum, eundem faciunt: sed temporum rationes repugnant, nec Belesis Assyriae, sed Babyloniae praefectus fuit. *Salmanassar* *Annales Phoenicum* meminerunt, a *Menandrio Epheso* Graece redditi, quorum fragmentum *Josepho* acceptum ferimus, ex quo repetiit *Hugo Grotius de ver. Rel. Christ.* & ante eum *Scaliger App. ad libros de Em. Temp.* qui notis quoque illustravit, egregie monens, illi nomen *Σαλμανασάρ* inferendum esse, quod non tantum *Ruffini* interpretatio, sed ipsa *Josephi* verba omnino requirunt. De altera vero emendatione, quae *Ἀρχη* in *Ἄκη* mutat, amplius cogitandum: quum *Scaliger* ipse *Josepho* in tribu Aser urbem *Ἀρχη*, vel ut in *Froben. Edit.* legitur, *Ἀρχη*, memorari observet. Tribus enim Aser termini Tyrum & Sidonem usque extendebantur, *Jos. XIX 26 27. 28. 29.* Admodum igitur verisimile est, Tyrios ex desperatis Israelitarum rebus sua commoda captasse, & urbes nonnullas in limite positas suae adjecisse ditioni, quae deinceps cum aliis Phoeniciae urbibus Dominum mutare, & Assyrio, quam Tyriorum subesse imperio constituerint. Atque eandem urbem postea quoque Phoeniciae attributam legimus. Commemorat *Ptolemaeus* inter urbes *Φοινίκης μεσογείης Ἀρχα*, quae apud *Aurel. Victorem* Alexandri Severi patria est, Arcena *Lampridio* dicta, ubi in templo Alexandri M. memoriae sacro natus Alexandri nomen invenerit, quae *Scaliger* cum aliis huc pertinentibus adducit, ad *Euseb. p. 213.*

Rerum a Sennacheribo gestarum, & cladis divinitus illatae illustrissima apud alias quoque gentes gloria fuit, sacris Aegyptiorum monumentis, & *Herodori* industria posteritatis memoriae commendata. Et apud *Herodotum* quidem legimus, postquam Sabacon Aethiops Aegypto cecidisset, & Sethon, Vulcani Sacerdos, suscepisset imperium, Sennacheribum Assyriorum Arabumque Regem Aegyptum invasisse. Milites autem Aegyptios, quod agri, olim ipsis attributi, a Sethone adempti essent, detrectasse militiam. Sed Regem a Vulcano in somno monitum, ne timeret; Deo ultionem hostium curae cordique fore, imbellem volonum manum in hostem Pelusium versus duxisse: mures agrestes deinde Arabum pharetras, sagittas, & clypeorum lora corro-


fuisse, ut altero die inermes in fugam verterentur, & plurimi perirent. Suaque adhuc aetate regem hunc in fano Vulcani stetit lapideum, murem manu tenentem, his adscriptis: *εις ἐμὲ τις ὀρέων, εὐσεβὴς ἔστω.* Quae a Sacerdotibus Aegyptiis Herodotus accepit, & nunc paullo accuratius cum sacra & reliqua historia conferenda veniunt. Hoc ut eo felicius procedat, primum Dynastiam Aethiopum ex Manethone fide *Scaligeri* adscribemus: Post Bocchorin regnavit Sabacus 8. ann. Sevechus ejus F. 14. ann. Tarachus 18. ann. *Herodotus* autem & *Diodorus* unum *Σαβακῶνα* ponunt, cujus imperium ille quinquaginta annis, hic incerto quidem, longo tamen spatio definit: & quum *Herodotus* post eum Anyfin iterum & Sethonem ponat, deinde autem duodecimvirorum imperium fuisse dicat, *hic* sine omni imperio & magistratu Aegyptios per biennium egisse tradit, donec mutua duodecim virorum Principum opera regnum melius constitueretur. Unde credibile est, *Herodotum* omnes Aethiopum Regum annos uni Sabaconi adscripsisse, nec eorum numerum adeo subtiliter exequutum esse, qui alias quoque in his Aegyptiorum Dynastiis perturbatissimus est. Unde illum non multum hic moramur: quin totius rei gestae seriem, quantum fieri poterit, ad divinas *Esaiæ* rationes accommodabimus. Maxima Aegypti calamitas a vate hoc diviniore c. XIX. praedicitur, quam in Sabaconis tempora incidere, *Scaliger* putat, *Can. Isagog. III. p. 311.* Mihi autem *Varenium* hic sequi liceat, qui ad cladem ab Assyriis illatam respici defendit, & mala simul enumerari, quibus deinceps. Aegyptii oppressi graviter gemuerunt. Sabaconem vero Ezechiae tempora non attigisse, ex sequentium duorum Regum nominibus declaro. Sevechus enim cum *II. Reg. XVII, 4.* convenit. Tirhaka autem & Taracus & nomine conveniunt, (a quo nec *Τεάρων Strabonis lib. XV.* multum abit) & gentis indicio; & *Esaias* non obscure testatur, Aegyptum atque Aethiopiam iisdem tum Dominis paruisse, vel arctissimo certe foedere fuisse conjunctas. Triennio enim Aegyptiorum res ab Assyriis vehementer affligendas, & Aegyptios una cum Aethiopibus magno numero in captivitatem abripiendos, non verbis modo, sed certo signo ipsis quoque oculis repraesentavit c. XX. Facile hinc patet, undenam illa, quae *Herodotus* de militum inopia sub Sethone, & *Diodorus* de ἀναρχία biennij referunt, suam ducant originem? scilicet postquam Taracus Aegypto in interiora regni, vel metu Assyriae potentiae, vel, quod magis placet, clade insigni accepta, retrocesserat, & regnum intestinis discordiis, atque continuis ab hoste cladibus percutiebatur, non tam per alienos

nos

nos a Rege animos factum est, quod milites Sethoni, qui ruentibus patriae rebus humeros utcumque supponere constituerat, defuerunt, quam per vastitatem regionum, & metum populi, contra hostem toties victorem depugnare recusantis, sicut & *Esaias* muliebrem Aegyptios animum in illa calamitate gesturos esse, praenunciarat c. XIX, 16. Iisdemque temporibus omnia tumultu bellico fessa sine certo rectore agebant, donec Taracus omnes vires Aethiopiae residuas moliens ultimum cum Assyriis pro Aegypto experiri statuit, sed eventu infelici, (ut plerorumque Interpretum sententia est, quamvis *Josephus* & quidam cum eo in diversa abeant) & Aegyptiis funestissimo futuro, nisi hostis impetum in Judaeam iterum convertisset, atque ibi divina manu fuisset ad internecionem caesus. Ex quibus apparet, non immerito Aegyptum pro arundine quassata tunc fuisse habitam. Quod autem de muribus Aegyptii Sacerdotes *Herodoto* tradiderunt, id ad obfuscamam divini miraculi gloriam excogitatum est, & vase a statua in templo Vulcani posita desumptum, quum tamen mus ille non tam rem gestam respiciat, quam detrimentum insigne hosti datum nota secretiore signet, cuius Symbolum murem apud Aegyptios fuisse, non inepte conjicit *Pierius Valerianus*. Nec fide majore nituntur immissa Sethoni a Vulcano somnia. Quin potius illud omne, quod de clade Sennacheribi dixerunt Aegyptii, ad salutem Hiskiae divino beneficio mirandum in modum redditam & conservatam pertinet, atque ab iisdem subdole ad amplificandam Vulcani sui religionem translatum est, artificio hostis generis humani perpetuo, quod longe post in bello Antonini Pii Marcomannico recurrit, ubi quod unico vero Deo, precibus Christianorum moto, debebatur. Jovi pluvio publicis monumentis adscriptum fuit. Ex inscriptione quidem statuae facile colligitur, Sennacheribum impietate adversus Deum, & contemptae religionis crimine hanc plagam meruisse, quod propria oppositae vocis, *ευσεβης*, notio evincit, qua etiam Antiochus Soter a Judaeis ob servatam sabbati religionem celebratus fuit: quum tamen Vulcani sacra contemptui habuisse non legatur; nec bellum in Vulcani sacerdotem gestum satis idoneum ejus rei argumentum est, quando Sethon non sacerdos modo, sed vel Rex Aegypti erat, vel pro Rege agebat. Verum impias voces in sempiternam Dei Israelis majestatem conjectas, nec ore tantum legatorum, sed scripto quoque repetitas hodiernum non sine horrore atque animi irreligiosi detestatione legimus, quibus ultionem divinam in se provocavit, & regnum amplissimum atque florentissimum uno velut ictu pessundedit: quod tanti Aegyptiis visum est, cujus memoriam in adytis deorum locisque sanctissimis consecrarent.

Lo-

Loci hujus Herodotei *Iosephus* quoque meminit *Orig. X. 1.* Ubi tamen adeo foede auctor hic a librariis acceptus est, ut sententia sibi plane non constet. Locum mutilum esse, censuit *Scaliger*, eumque ita supplevit in *Emendatorum Temporum Appendice p. 46.* Ταραχθεὶς δὲ ὑπὸ τῶν οὐ βασιλεὺς Σαναχέριβος λύει τὴν πολιορκίαν. Ἡρόδοτος δὲ γράφει, Σαναχέριβον ἐπὶ τὸν ἱερέα τὸν Ἡφαίστη στρατεύσασα, λέγων ὡς ἔστος ὁ βασιλεὺς ἐπὶ τῶν Αἰγυπτίων βασιλέα ἦλθεν, ἱερέα ὄντα τῶν Ἡφαίστη. πολιορκῶν δὲ τὸ Πηλυσίον, ἔλυσε τὴν πολιορκίαν ἐξ αἰτίας τοιαύτης: ἠύξατο ὁ βασιλεὺς τῶν Αἰγυπτίων τῷ Θεῷ. ὃ γινόμενον ὑπήκουσεν ὁ Θεός, πληγὴν ἐνσηπήψεν τῷ Ἀραβί. πλανᾶται γὰρ καὶ τὸ Ἡρόδοτος, ἔχων Ἀσσυρίων λέγων τὸν βασιλέα, ἀλλὰ Ἀράβων. Quorum sententiam manifestam esse, fatemur, ipsam vero rem iis dijudicandam relinquimus, qui & majori ingenio, & necessariis subsidiis instructi sunt. *Iosepho* autem *Herodotum* accusanti, quod *Senacheribum* Arabum, non *Assyriae* Regem fecisset, subscribere non possumus, si editionibus *Herodoti*, quae vulgo in manibus versantur, standum est. Quamvis enim ille Ἀραβίων στρατὸν dicat, Σαναχέριβον tamen βασιλέα Ἀραβίων τε καὶ Ἀσσυρίων discrete appellat; ut adeo *Iosephus* vel *Assyriorum* vocem in *Codice* suo non legerit, vel obiter inspexerit *Herodotum*. Recepta tamen lectio germana videtur, quae & egregie cum reliqua orationis serie cohaeret, & ex eo se quoque commendat, quod aliis ex locis discimus, *Herodoto* posteriora regni *Assyrii* tempora non ignota fuisse, quod usque ad *Cyaxarem* stetisse confirmat. Aliam hujus scriptoris cum historia diviniore conciliandi rationem *Scaliger ostendit III. Can. Isagog. p. 315.* *Sennacheribi*, inquam, meminit *Herodotus*, quem *Arabum* Regem vocat, quia, ut putamus, *Arabes* *Scenitae* *Babyloniis* finitimi, gens acris & strenua, *Medis* jam in luxum & molliorem vitam solutis, videntur *Assyriorum* fines invasisse, & in illis regnum obtinuisse. Eodem in loco *App. p. 46.* altera vice *Scaliger* manum medicam *Iosepho* adhibet, qui quum *Berosum* *Senacheribi* mentionem injicere dixisset, quodque *Assyriis* imperaverit, ac omnem *Asiam* & *Aegyptum* bellis concusserit, enarrare, caput primum his verbis: λέγων ἔστος, claudit. Quae verba caput secundum *Beroso* vindicarent: sed deleri jubet *Scaliger*, ut ab aliena manu, cujus emendatio lemmate atque argumento capitis secundi defenditur, quod ipse *Iosephus* non *Berosi* verba afferre, verum seriem rerum gestarum persequi testatur. Capitulum enim indices in libris *Originum* ab ipso *Iosepho* esse additas, non obscure efficitur ex simili librorum de *Bello* *Jud.* ratione, quodque in illis in prima, quam vocamus, persona, alicubi loquatur, ut in argumento *lib. I. cap. VIII. & lib. V. c. V.* Ut alia, quae ad hanc emendationem tuendam afferri possent, taceamus.



K₄ 891




ULB Halle 3
005 129 877




M
LDA





C. ...
D. ...





7
8

D. B. V.
De
E N I N O
ET
S A S S Y R I I S,
Ordine Philosophorum
sole annuente,
RAECES
MENO Berpoortenn/
&
SPONDENS
THEOD. Berpoortenn/
tres Germani,
disputabunt
XII. Kal. Oct.

EMBERGAE,
ANI KREUSIGII, Acad. Typ.
R. M DC XCVI.

